



Dr. Jost de Lymnacum  
falsa p. Halle Jan. 1535.



48

# TRIUMPHUS CHRISTI,

*Hoc est,*  
**Carmen de salutifera & glo-**  
**riosissima resurrectione Servatoris atque**  
**Redemptoris nostri J E S U**  
**CHRISTI,**  
*Versu heroico conscriptum, & UVitebergæ fe-*  
*riâ secundâ Paschatis in auditorio Collegii*  
*majore publicè recitatum.*

**HENRICO BEZA, VVernige-**  
**rodâ-Cherwscō, Philosophiæ & LL.**

**Studioſo.**

*Anno redempti per Christum mundi*

*cl. c. CXXIII.*

**WITTEBERGÆ.**

*Praelo JOHANNIS GORMANNI.*



*Amplissimis, Prudentia & autoritate prestan-  
tissimis Viris,*

Dnn. Consulibus ac Senatoribus inclytæ Rei-  
publ. Wernigerodensis:

*NEC NON*

*Empiricis etiam Virorum Clarissima,*

Dn. HENRICO JORDANI, Generosissimi Comitis  
a Stolberg Cancellario dignissimo:

Dn. HERMANNO Lüddeken / Secretario ejusdem  
Comitis meritissimo:

Dn. M. HENNINGO BROSENIO, Poët. Cor. Cæs. Re-  
ctori Scholæ Wernigerodanae fidelissimo:

Dnn. Evergetis, Fautoribus ac Promotoribus meis etatēm colendū.

**H**Os vobis, Meconates magnis; Patroni,  
Offero versiculos, hoc vobis offero carmen,  
Carmen, nostra rudi quod protulit arte Thalia:  
Quod non Iliacas pugnas, non Hectoris arma,  
Non Helenæ raptum, aut fraudes pellacis Ulyssis,  
Non animum Æacidae, non igne exusta Pelasgo  
Pergama: sed Christi pugnam canit, atque triumphos  
Hostibus ex domitis, Morte & Cacodæmone, partos.  
Versiculos hos, hoc carmen facietis (ut æquum est  
Sperare) ô patriæ patres, & quiq; boniq;:  
Et mihi fautores eritis, certiq; Patroni.

*HENRICUS BEZA, Wernigerodensis  
Philosophia & LL. Studiosus.*

RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS

NICOLAUS HUNNIUS, S.S.  
THEOLOGIÆ DOCTOR ET  
PROF: PUBL:  
CIVIBVS ACADEMICIS S.

**S**i rectè rationes subducimus, ille demum boni Poeta partibus videtur defunctus, qui ab omni spurcitie & obscenitate se abstinet, & magnorum viorum exempla celebrans, ad easdem virtutes homines utiliter invitat. Præcipue vero in celebrando Numinе deditus est, & quasi verba præit aliis, tum quibus ineffabilem ejus bonitatem laudare conveniat, tum quibus ejusdem opem liceat impetrare. Quod ipsum & Horatius innuit alibi scribens:

Ostenerum pueri balbumque Poëta figurat,  
Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem,

A 2

Mox

Mox etiam pectus præceptis format amicis,  
Asperitatis & invidiæ corrector, & iræ.  
Recte facta refert, orientia tempora notis  
Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum.  
Castis cum pueris ignara puella mariti  
Disceret unde preces, vatem nî Musa dedisset?  
Poscit opem chorus, & præsentia Numinæ sentit:  
Cœlestes implorat aquas, doctâ prece blandus:  
Avertit morbos: metuenda pericula pellit:  
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.

Quapropter cùm Ornatisimus Juvenis HEN-  
RICUS BEZA, Vernigerodæ-Cheruscus,  
Poëtices studium, quo excellenter ingenia  
multum semper fuerunt delectata, tanquam  
liberale ~~adagio~~, quo, quicquid molestiarum ex-  
severioribus disciplinis haussisset, remittere ac-  
veluti posset diluere, sibi delegisset, id operam  
dedit sedulo, ut in diuinam artem aliquid ne  
committeret, eamq; non satis reverenter tra-  
Etans, quodammodo profanaret. Cum primie  
id assidue egit, ut Dei aterni misericordiam &  
Salvatoris nostri merita pro copia ingenii piis  
laudibus gratus deprædicaret. Cujus rei cùm  
ad horam II. postea, finita concione, specimen  
editus

editurus sit, recitando videlicet in majore Col-  
legii acroaterio carmen de gloria Jesu Christi  
Domini & Dei nostri resurrectione, cuius me-  
moriā hoc tempore omnis Christiana civitas  
celebramus, conscriptum: vestrum erit favere  
ejus pietati, & recitanti frequenter atque bene-  
vole adesse. Probabit vicissim sua vobis officia:  
& sane ipsum carmen ita comparatum est, ut  
neminem impensa aurium operæ, ut cum Comi-  
co loquamur, pœnitere possit. P. P. Feria se-  
cunda sancti Paschatis, Anno reparata gra-  
tia c/c d/c XXII.

A 3 309

**A**RISTIS hyems abiit: glacies periēre, nivesq;,  
Velantes celsos, ceu candida vellera, montes,  
Diffugēre simul Zephyris & solibus icta:  
Adridetque novo radiis sol aureus orbi.  
Amplius haud mordent torpentia frigora brumæ,  
Horrida nec rigidis dependet stiria tectis.  
Candida purpurei redeunt jam tempora veris,  
Et blandis passim speciosa cacumina sylvis  
Dulcè virent: tepido Zephyrus jam flamine spirat,  
Et candore suo pubentia prata decoris  
Floribus adspexit, pictisque tapetibus ornat;  
Et violas, calthasque, & purpureos hyacinthos  
Prolicit, atque pigras in flores evocat herbas.  
Jam pecus haud stabulis, haud igni gaudet arator.  
Illecebræ instantis dulces & gratia veris,  
Exhilarant montesque, hortosque, hominesque, ferasque.  
Jam frondens summa ramorum in stirpe tumentes  
Protrudit gemmas & germina parturit arbor.  
Jam viridi in ramo gracilem, alta cubilia, nidum  
Ponit avis, parvos educere sedula natos.  
Jam, blanda inspectrix operum, per rura vagatur  
Cassita, atque suum tireli tiritirlire tractim.  
Ludere docta, in agro curas solatur agrestum.  
Propter aquas habitans, dulci jam dulcia voce  
Cygnus, delicium Phœbi, modulamina fundit.  
Jam sua per sylvas profitetur nomina coccyx,  
Rauco inter reliquas dum coccytat ore volucres.

Jam

Jam redit, auricomī prænūcia veris, hirundo,  
Quæ procul in terras, bruma veniente, remotas  
Sese contulerat, per tecta domesticā cārmen  
Dulce sonans, luteosq; parans suspendere nidos.  
Alitum regina, alti Philomela sub umbra  
Frondosā nemoris residens, iteransq; querelas  
Dulces, artifici variōs jam gutture cantūs  
Fingit, & adstantes vocat in certamina coetūs.  
Jam quacunq; vagi gressumq; oculumq; feramus,  
Se passim exsinguant halantum germina florū,  
Hortenses pictura toros, pasta rā venustis  
Deliciis oculos, & odorū flumine nāres,  
Jam gratum Cereri, fortūmq; sopore papaver  
Oscitat: in cultis genialis amaracus hortis  
Crescit: vītis agit gemmas: argentea rident  
Lilia, & auricomō viridis se jactat in arvo  
Cesp̄. Jam volitans nemorum per floreā tempe,  
Mellis mater, apis, floresq; thymoq; suaves  
Libat, & Hyblæo distendit nectare cellas.  
Jam secus irriguas sinuosi fluminis undas  
Lanigeræ ludunt pecudes, saliuntq; per herbas  
Snaviter, & tenero tondent nova pabula morsu.  
Jam culices paryi, muscæ, argutæq; cicadæ,  
Frugilegæ formicæ, erucæ, insectæq; cunctæ,  
Quæ prius ignavâ jacuerunt mortua brumâ,  
Fota calore novo, superas revocantur in auras  
Lucis, & amissæ redeunt ad munera vitæ.  
Omnia (qui in uno complectar singula versu)  
Omnia vere novo colludunt, omnia rident,  
Omnia lætantur: jam formosissima mundi  
Pandit se species; sunt omnibus omnia læta.  
Et facri redeunt jam Paschatos annua festa,

Quæsis

Queis sancti fas est famam celebrare triumphi,  
Quem Christus, soboles hominis, summiq; parentis  
Stirps, dux primævā promissus origine mundi,  
Amisæ ætherius vitæ reparator, Averni  
Destructor, mortis domitor fortissimus, ultor  
Dæmonis, humanæ princepsq; autorq; salutis,  
Hostibus ex domitis retulit, victoria lauro  
Tempora præcinctus, spoliisq; potitus opimis.  
Hunc, inquam, tantum fas est celebrare triumphum,  
Victoremq; pio super æthera tollere cantu.  
Quod dum conor ego, cui sane curta supplex,  
Cui vim versificam natura noverca negavit:  
Fortè (nec immerito) in me suscepisse quibusdam  
Materiam videor nostris haud viribus æquam.  
Sed cùm conando labor improbus omnia vincat,  
Et prompta in magnis laudetur sæpe voluntas:  
Quantum ferre humeri valeant, enitar; & antè  
Nulli unquam peragenda homini bella, horrida bella,  
Christi cum Satana, devictas Dæmonis arces,  
Atque resurgentem cœca de morte parentis  
Ætherii sobolem, referam, partosq; triumphos.  
Sed non Thymbræum hīc Phœbum, patremq; ducemq;  
Pieridum, nec quæ quondam sibi numina finxit  
Vana supersticio veriq; ignara Dei gens,  
Implorabo prece, ac supplex in vota vocabo:  
Nec libet Aonio de vertice ducere Musas:  
Verūm o summe Deūm, Pater Optime Maxime, magni  
Mundi opifex, celsi residens super æthere cœli,  
Terricolūm qui sponte vices miseratus acerbas,  
Ex pura gnatum voluisti virginē nasci,  
Adfixumq; cruci famosā occumbere morte,  
Lethiferā innocuum poenas pro fraude nocentum

Solvere

Solvere, & effuso per vulnera sancta cruore  
Adserere humanum genus in superam ætheris aulam:  
Ad te confugio, & supplex tua numina posco,  
Tu fer opem, præsensq; meo succurre labori.  
Tuq; ô nate Deo, Satanæ fortissime victor,  
Ad sis Christe tuas in laudes ire paranti.  
Tu mortem memorare tuam, clarumq; triumphum  
Iussisti, populoq; tuo celebrare dedisti.  
Da facilem cursum, & juvenilibus annue cœptis.  
Tu quoque, quod sine nil unquam mens inchoat apti,  
A quo promanat docti vis carminis omnis,  
Spiritus alme, Patri æterno Natoq; coæve,  
Huc ades, & cœptos unà decurre labores.  
Tu me, sponte mea quando nil numine dignum  
Concinno, rege consiliis, sensusq; gubernas.  
Vos ô magnifici Rectoris numen, habenas  
Arte potente regens nostras, HUNNI, æmula patris  
Eximii proles, regis mysta enthee Christi,  
Arte potens, & Theologi decus ordinis ingens:  
Vosq; Professores, fidi Rectoris Atlantes,  
Qui dudum vestris latum virtutibus orbem  
Impletis, rutili quâ Solis utruncq; cubile est;  
Cum primis, Vates excellentissime vatum,  
O mihi Præceptor vitæ omne colende per ævum;  
BUCHNERE, Albiaci palmaria fama Lycei:  
Tuq; adeò Jovæ, ingenuisq; sacrata Camœnus  
Pubes, quos doctas animum excoluisse per artes  
Fert amor, atque ardens extollit ad æthera virtus,  
Quotquot congressu coetum hunc subiistis amico:  
Este mihi faciles, linguisq; animisq; favete,  
Dum Christi pugnam, deportatosq; triumphos  
Hinc canere incipio, & numeris percurrere conor.

B

Sunt

Sunt autem longæ ambages, operatio longa:  
Verum summa sequar saltem fastigia rerum.

Cinxerat Ausonius monumentum milite Christi  
Præses, & impresso proprii ipse toreumate signi  
Saxa obsignarat, sancti antro objecta sepulcri,  
Ne quis surriperet, ne quis contingeret illum.  
Scilicet excubiis clausam servarier urnam  
Pontificum cœtus Phariseorumq; rogarat,  
Dictorum Christi memor: Aureus æquore cùm sol  
Exortus ternalustrabit lampade terras,  
Prodibo tumulò superas redivivus in auras.  
Ergo ubi propulsis jam Sabbata prima tenebris  
Transiſſent, matrum convenit triga: Maria  
Magdalis, & Salomæ virtus, uxorq; Jacobi:  
Emeruntq; bonis fragrantia aromata succis,  
Exanimis perfusa quibus pia membra Magistri  
In multum tempus tetro sine odore vigerent.  
Quando igitur croceis radians Aurora capillis,  
Eois nitidum caput extollebat ab undis,  
Atque polum primò lustrabat lumine surgens:  
Sol, oculus mundi, promus condusq; diei:  
Ingrediuntur iter, Christi monumenta petentes.  
Dumq; viam faciunt, inter se hæc verba loquuntur:  
Quis nobis vasti devolvet pondera saxi,  
Quod superimpositum clausi tegit ora sepulcri?  
Nanque illud propriis norant bene, viribus impar  
Pondus habere: nec alter adest, qui volvere possit.

Interea, dum de saxi gravitate queruntur  
Turba maritarum, vitaq; animaq; receptâ,  
Corporeq; in toto firmatis viribus, heros  
Ætherius tendit Stygii ad regna horrida Ditis,

Perrum

Perrumpens terram, perrumpens vincula mortis.  
Vipereas primūm Furias, mortemq; rebellem  
Opprimit, oppressas vincit, vietasq; catenis  
Compescit validis, & cæco carcere claudit.  
Mors fera luctificis homines terroribus omnes,  
Torvā tuens, & acerba fremens, impleverat, aliam  
In lucem fusi quotquot nostrūm hausimus auras.  
Tam dirum Mors, tam visu miserabile monstrum est!  
Calvus crine caret vertex, & labra genæq;  
Turpi deficiunt macie: frons aret inanis:  
Effossis livent oculis cava tempora: nunquam  
Non hiat os: flavent scabri rubigine dentes:  
Brachia dependent nervorum cassa: manusq;  
Carnis egent: arent digiti: conserta teneri  
Pectora crata cava spinæ tantummodo credas:  
Ossa exstant lumbis, rigidi stant undiq; nervi:  
Viscera dat numeranda cutis: genuumq; labascit  
Orbis, & infirmo crepitant sub poplite tali:  
Ex humerisq; lacer nodo dependet amictus.  
Torvō, inquam, cunctos hoc formidabile monstrum  
Terruerat vultu: verūm haud formidine Christum  
Perculit, aut victum incepto desistere adegit.  
Interea insolito turbari murmure totum.  
Infernūm sensit Satanás; atque ima moveri  
Fundamenta Erebi; & cæcas lucescere clarō,  
Ceu nitidi solis facie, fulgore tenebras;  
Carcereq; inclusas Furias, vinclisq; ligatas  
Horrisona magnos ululatus voce ciere.  
Protinus horrendam specula stupefactus ab alta  
Insonuit vocem: pulsu tremit excitus æther.  
Dæmones extemplo cuncti, velut agmine facto,  
Adcurrunt, regis mandata capessere prompti.

O socii, socii, prior alta silentia rumpens  
Rex infit, firmate animos, & pectore vires  
Concipite ingentes: nunc est opus arma capessant,  
Quotquot nigri habitant pallentia regna barathri.  
Nimirum illa dies, quam quondam conditor orbis  
Venturam dixit, quâ semen virgine natum,  
Devotum primo Paradisi in valle parenti,  
Nostrum calce caput (memini tum dicta) feriret:  
Illa dies, inquam, venit: fortissimus heros  
Præstò est, totius tristi pro criminе mundi  
Cæsus, & ætherias lucis redditurus in auras.  
Hic portas franget nostras, hic destruet arces.  
Munite ò socii portas, concendite muros,  
Imperiumq; armis defendite: quippe fideles  
Victi perdemus cunctos: victo hoste, beatâ  
Nemo hominum poterit cœlorum sede potiri.  
Nostra salus agitur: de vita & sanguine nobis.  
Certandum. Quare vocisq; operisq; animiq;  
Concordi adsensu pariter pugnemus in hostem.  
O agite, ò mecum nunc arma capessite, mecum  
Prælia inite, hostis nostras ne destruat arces.  
Dux ego vester ero: ò animis defendite & armis.  
Talia jactabat dictis: sententia par est  
Omnibus, & dictò citius quisque induit arma.  
Armiger ipse venit princeps, certo ordine classem.  
Distribuens, celsoq; Orcum vallò undique firmans.  
Pars portas ferrò & claustris custodit alienis  
Firmatas: alii tutantur mœnia: major  
Arces turba tenent: animas pars carcere clausas  
Servant, ne quis eas rapere aut abducere possit:  
Pars laqueos & vincla gerunt, quibus illico nectant:  
Intrantem portas hostem, nil tale timentem.

At



At Christus, Furiis victis & Morte, profundis  
Orci tecta petit, centum firmata columnis.  
Jamq; Erebi sacrâ pulsaverat ostia dextrâ,  
Concussæ patuere fores, lato ore fenestram.  
Illico dant portæ: nil claustra, nec æra, nec ullum.  
Ferrum, nil vectes, nil obnixi agmine cuncti  
Custodes sifferre valent, nil ardua prosunt.  
Valla: omnis resupinata manus consternit humum.  
Quô viso, subità mentem formidine pressi,  
Terga dedere fugæ reliqui, latebrisq; salutem.  
Quærere constituunt, abjectis turpiter armis.  
Sed nec, quâ tuti lateant, quâve abdere feso.  
Possint, inveniunt. Alios à mœnibus altis  
Delabi videoas: scopulorum è vertice multos  
Pronos se jacere, & fracta cervice perire.  
Insequitur Christus fugientes cursibus urgens,  
Atque ipsum regem prendit, prenso exuit arma,  
Arma, quibus sisus summo pugnare Jehova.  
Quondam conatus fuit; & jam fretus iisdem  
Prælia cum Christo haudquaquam dubitavit inire.  
Insueto Deus arrepti fera vincula collo  
Necit, & æternis gémimas post terga catenis  
Constringit palmas: turmas dein illius omnes,  
Dispersas passim, vinclis & carcere claudit:  
Infernî muros perfringit: dura bipenni  
Robora perrumpit: postes à cardine vellit:  
Ferratasq; imis portas à sedibus Orci  
Impulit, impulsu quô maximus insonat æther,  
Terra tremit, reboant sylvæ, vallesq; resultant.  
Et planis æquans horrentia Tartara campis,  
Ampla refert spolia, & spoliis exsultat ademptis.  
Jam Furiis captis, devicta Morte, gehennâ.

Destructâ, Satanaq; omni cum robore fusô,  
Ecce! redit Christus dias in luminis auras,  
Cum linquens croceum Tithoni manè cubile,  
Expultrix noctis, venturo prævia soli,  
Roscida puniceo Palantias ibat amictu,  
Lustratura orbem; & nitido jam clarus Olympo  
Surgebat Titan, regimenq; autorq; diei,  
Lativagô cunctas perfundens lumine terras.  
Per tumulum lapide occlusum, mediumq; per agmen  
Custodum victor (dictu mirabile) vadit.  
Plausibus atq; sonis lætis reducem, excipit illum  
Aligerûm chorus, ætherii gens incola cœli:  
Argutisq; sonis solventes guttura, dulci  
Carmina voce dabant: resonabat cantibus æther,  
Dum sanctos Christi gaudent memorare triumphos.  
Christô imâ nigri inferni de sede reversô,  
Dant concussa graves intra sua viscera mogûs  
Fundamenta soli: scopuli rupesq; dehiscent,  
Descendit cœli de culmine flammœus ales,  
Solem altum splendore, nives albedine vincens:  
Quale tenebrosa per inania nocte coruscum  
Emicat, & tremulo prorumpit lumine fulgur,  
Discutiens claro cæcas fulgore tenebras:  
Talis erat, talis tumuli de limine saxum  
Accedens devolvebat, supraq; sedebat.  
Diriguere metu custodes, mensq; repente  
Excidit, atq; genas exsanguis pallor obivit,  
Pectoribusq; pavor micat, ossa tremoribus urgens:  
Corde coit sanguis, perq; artus ingruit ingens  
Horror: humili recubant, rapido ceu fulmine tacti.  
Ut primùm ad se redeunt, animumq; resumunt,  
Membra solo relevant, urbisq; ad mœnia cursu

Festi-

Festinant propero, vulgantes acta per urbem.  
Hæc ubi Pontificum Pharisæorumq; corona  
Comperuit, plebis primos totumq; Senatum  
Cogunt, consiliumq; vocant, & munera magna  
Militibus spondent, vulgi ut sermonibus aures  
Ignari falsis fallant, dicantq; Sepulcrō  
Furtim à discipulis tenebroſe tempore noctis  
Ablatum esse suis Christum, cùm vieta dedissent  
Lumina fallaci, projecti membra, sopori.  
Accipiunt ingens argenti pondus & auri  
Custodes, verumq; tacent, falsumq; per urbem  
Spargunt. Atq; ea vox hodie quoq; vera probatur  
Judaæ genti, totum quæ sparsa per orbem est.  
Heu stolidas hominum mentes! heu pectora cæca!  
Verè facta negant, manifestè ficta tuentur.  
Heu! animi quorsum vos improbus error inertis  
Abstulit, à plano per devia calle retorquens?

Interea sanctum preciosa unguenta gerentes  
Fœmellæ Christi monumentum visere pergunt.  
Quò cùm ventum, oculo propiore tuentur, & ingens,  
Quod formidarant, saxum tumulo esse revulsum  
Agnoscunt. Illæ dubiæ interspemq; metumq;  
Protinus intrantes vacuum subière sepulcrum.  
Hic verò nitido juvenem fulgore decorum,  
Cœlō delapsum, à dextris videre sedente  
Quò viso, subitus muliebria pectora terror  
Invadit, pavidæq; hærent, pressosq; cucurrit  
Per sensus stupor, attonitos tremor occupat artus.  
Angelus his animos dictis solatur, & insit:  
Ponite corde metum, tristes secludite curas,  
O matres: Sanctum hic crucifixi corpus IESU  
Quæritis. Is superas lucis redivivus in auras.

Surre-

Surrexit tumulō. Celeres nunc ite, Petroq;  
Discipulisq; aliis gratissima nuncia ferte.  
Sic memorat: vacuoq; illæ rediēre sepulcrō,  
Verborum Christi memores, quibus ille solebat,  
Quam subiturus erat, sociis prædicere mortem.  
Conversæq; domum, referunt hæc omnia Christi  
Undenis sociis, qui cùm dicta ista piarum  
Audierant matrum, ceu quando forsan anilis  
Fabula narratur, mendacia verba putarunt.

Onisi suscepti jam meta statuta laboris  
Ad properet, placidisq; advertere portibus optem  
Proram jactatam ventis, & fluctibus actam:  
Forsitan hīc, victis quos Christus ab hostibus hymnos  
Insonuit, canerem, validæq; epinicia dextræ,  
Quasq; illi grates cœlum, quas terra rependit.  
Laude nec hac gracili contenta trophæa fuissent  
Tanta mihi. Verūm hæc aliis memoranda relinquam,  
Exclusus spatio, & tardatus paupere vénâ.  
Nunc age Musarum campis exercita pubes,  
Quanta sit utilitas, & quæ sint commoda, dicam:  
Verūm non longis verborum ambagibus utar,  
Sed breviter tantum rem perstrinxisse juvabit.  
Fando etenim quisiám vel saltem pacis adumbret  
Infinita tuæ, Christe optime, commoda? quæ pax  
Sera quidem: tandem tamen ærumnisq; malisq;  
Pressum, expersq; opis, & curis mordacibus ægrum  
Respexit mortale genus post multa virorum  
Funera, respexit tamen, & te dante reversa est.  
Hæc est illa dies, scelerum quâ terra nefandis  
Sordibus ablata est, & quâ velut aucta benignis  
Imbribus, immensi nulliusq; ore canendi  
(O faustum festamq; diem, niveoq; lapillo

Signan-

Signandam! meriti primos adspexit honores:  
Quaq; iterum omne bonum cumulotenus agmine facto  
Ingruit, & vita irrupit melioris in ævum.  
Ante humiles summi in terras de culmine cœli  
Prospexit Deus, ut de tot modò millibus unum  
Cerneret intactum scelerum contagè nefandâ,  
Qui purâ coleret rerum pietate parentem,  
Quem non impietas, nec pravi credulus error  
Deceptum recto de tramite flexerit. Unam  
Omnibus omnino esse viam deprendit; ad unum  
Defecisse omnes, omnes ad turpia ferri  
Comperit. Hinc sœvas irarum in pectore flammæ  
Concipiens, cunctos vultu aversante repellit:  
Respuuit aure preces durâ: implorantibus omne  
Denegat auxilium. Miseri terroribus acti,  
Morbis vexati diris, crudoq; dolore  
Confecti, mœrore animos fracti atq; labore,  
Omnibus exhausti propè cladibus, omnium egeni,  
Nec læsi implorare manum jam Numinis ausi,  
Vindiceq; orbat, cæcas sub rupe latebras  
Quærunt, atq; alti sese abdunt fornice saxi,  
Dum fractos luctu, & morbis, seniove, sepulcri  
Obscuro claudat mors illacrymabilis antro.  
Nunc facilis lenisq; Deus sua lumina mundo  
Insigit, ponensq; iram, veteresq; remittens  
Noxas, effundit tales dio ore loquelas:  
Integer integro reputabor, amicus amico:  
Criminis expertem sentit me criminis expers,  
Truxq; trucem: innocuo innocuum me præsto: boneq;  
Sum bonus. Accelerate omnes, cupidiq; venite,  
Quos grave peccatum, mala vel quæcunq; fatigant:  
Vos ego suscipiens verâ recreabo salute,

C

Vires

Vires restituam validas, opibusq; juvabdo  
Æternis, quas nulla potest abolere vetustas.  
Accelerate, inquam, primaq; ab origine mundi  
Exstructas vobis sedes habitate beatas.  
Offensas Austris tradam petulantibus: haud me,  
Haud sceleris memorem vestri ulla redarguet ætas.  
Vivo ego, vivo, nec ullius desidero casum,  
Nec quenquam cupio tristi succumbere morti:  
Verum lethiferis vitiis absistere cunctos;  
Et resipiscentes, super æthere vivere vitam  
Perpetuam, mecumq; æterna luce fruisci,  
Quæ pia turba, poli regnis transcripta beatis,  
Vescitur Ambrosiæ succos & Nectaris haustus.  
Fortè ego, fortè meos, tumidâ inflammatus ab ira,  
Hactenus averti vultus humana propago:  
At momento oculi quæ me non longius abdi-  
Passa fuit, tantum miseratio præstet amorem,  
Te mea ut æterno indulgentia destinet ævo,  
Nec mihi dilectam sobolem rata deserat unquam  
Gratia, nec rapido tradam ludibria vento  
Fœdera, sed stabilis jus inviolabile pacti  
Servem, Nunc jacet ira Dei, intolerabilis ira,  
Ira, imò quam nos fas sustinuisse fuisset,  
Ad tenebras trusos Stygis, irremedialis Orci  
In barathro: quæ triste gelu, fœcundaq; pœnis  
Clastra rigent, vinclisq; animæ luctantur & umbris,  
Quæ fremitus, quæ sœva sonant noctesq; diesq;  
Verbera, quæ strident concussi frigore dentes.  
Ante suas in nos vires exercuit atrox  
Peccatum, atq; graves immittens mentibus ægris  
Ærumnas, sœvo mœrentia corda dolore  
Perculit. Hinc Satanas, hominum infensissimus hostis,  
Qui

Qui rabido nostram sitit invidus ore salutem,  
Crimina chirographo nigrō munitus ad auxit,  
Et simul in pœnam stygios percensuit æstus.  
Hinc vitæ dubios, septos mœrore, reosq;  
Mortis, aquis graveolens Styx circum sedit avaris.  
Hinc Mors nulli æqua, & miserandi oblita, tenaci  
Compede vinxit opis cassos, & tincta tetendit  
In miseros liventis spicula felle veneni.  
Nemo ibi desertos curisq; ingentibus ægros  
Solatus, blandis permulxit pectora dictis:  
Nemo hostes potuit truculentos sistere: nemo  
Spe concendi mentes erexit Olympi.  
At nunc exitio eluctatum deserit orbem  
Culpa salutiferæ sublata per arboris usum.  
At nunc Tartarei furor & truculentia Ditis  
Victa jacet, nulli post hac metuenda piorum.  
At nunc sistit inops antiqui roboris undæ  
Styx strepitum, rapidus flammis torrentibus amnis.  
At nunc se latebris abdit Mors horrida visu,  
Quæ tot ad interitum mortales antè trahebat,  
Æquâ calce casas pulsans atq; atria celsa,  
Non metuens ullum, nec cuiquam parcere docta:  
Quam nihil argentum, rutili nec flava metalla  
Auri, quam nil magnanimum Mavortia facta  
Heroum, quam nil immensi climata mundi,  
Quam nihil egregiæ formæ concinna venustas,  
Quam nil multiplicis præstans doctrina laboris,  
Quam nihil ancipitis ferri violentia, quam nil  
Eloquium, quam nil invictæ robora dextræ  
Flectebant, homini quò curreret æquior ulli:  
Nunc hæc, nunc cæcis antris latet icta, nec unquam  
Metas præscriptas sibi transcurrisse, nec illum

C 2

Lædere,

Lædere, nî Superis ipsis autoribus, audet.  
Eversâ regnum miserabile Mortis opum vi  
Jam potiore jacet vi pressum, & robore cassum.  
Exsere teq; arcusq; tuos, Mors, exsere vires:  
Funere victa jaces, Christiq; absumpta triumpho es.  
O antiqua lues, Mors horrida, perfide Dæmon,  
Orce niger, quidam vestris ex ossibus ultor  
Exoriare, data ausurus damna atq; ruinas  
Factas sarcire; aut ( si non divina voluntas  
Sic ferat) ē vivis ausurus tollere quenquam.  
A nobis in se genitoris transtulit iram  
Christus, & infami suffixus in arbore mortem  
Oppriit, nec non perfectis debita patri  
Integer officiis solvit: læsumq; parentem  
Placans, atq; luens nostræ contagia culpæ,  
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ.  
Mors, num porrò homini insultas? Fera tela reconde:  
Horriscō vanum mortalibus injicis arcu  
Terrorem, atq; in nos frustra tua spicula tendis.  
Sceptigeros reges, populis terrisq; superbos  
Vicisti: num vicisti Christum quoq;, quō vix  
Toto terrarum orbe fuit contemptior ullus?  
Vicisti volucri curru, rapidisq; caballis  
Vectos: vicistinē etiam, qui segnis aselli  
Tergā premens, sanctam Solymæ tendebat ad urbem?  
Hic, hic est tua mors & Mors: tute illius ægra  
Imperium accipies, hujus tu jussa capesses.  
Victorem egregium atq; æterna laude ferendum!  
Qui solus celebres domitis fusisq; triumphos  
Hostibus instituit, nigriq; ē faucibus Orci  
Aurea stellantis populos ad sidera cœli  
Abduxit secum. Tanto custode, cruentas:

In si-



Infidias lethi nostra pars optima vita  
Effugiet. Piceo vultum velamine tectus  
Sol, prius exhibuit Christo lugubria signa:  
Ingenuitq; ejus fatum miserata nefandum  
Tellus: atq; suas in aqua laxare meatum  
Visa silex venas, portendereq; impia noctem  
Secula postremam, & prædicere tristia quæque.  
At nunc purpureo nitidum caput & quore tollit  
Sol, & per cunctas diffundens candida terras  
Lumina, torpentes luctu graviore medullas  
Evocat in plausus, lætoq; cacumine montes  
Subsiliunt, hilaresq; movent sua culmina colles:  
Infremit & tellus Christi gavisa favore,  
Quem non longa dies, non ætas finiet ulla.  
Namq; D E i firmo quis nos ab amore revellet?  
An gravis ærumna? an trepidans angustia? an ensis  
Triste minans? an dira famæ? an Yava pericla?  
An dubij casus? an mors crudelis? an atrox  
Hostis? an ingentis nudatio casta favoris?  
Hoc scio, nec fallax animum milii decipit omen,  
Quod neq; trux lethum; nec dulcis dulcia vitæ  
Tempora; nec sanctus, nitido flammantis Olympi  
Culmine delapsus, genius; nec triste barathrum;  
Nec sublimis apex; nec vis arcana sacrarum  
Ulla potestatum; nec res ventura, nec instans,  
Nec virtute D E i lucis producta sub auras;  
Separat à Christi, quo nos dignatur, amore.  
Ante bono flexum de tramite crimen ob unum  
Transiit in seros Jovæ vindicta nepotes.  
Jam necis imperio redivivum numen ob unum  
Effluit in seros clementia certa nepotes,  
Et natos natorum, & qui nascentur ab illis.

C 3

Quan-

Quanquam etenim saevis mors cassibus obruit ossa.  
Ossa annis multis gravia, & jam proxima letho;  
Illa tamen quondam erupta tellure resurgent  
Viva, caputq; suum cœli super astra sequentur,  
Cùm veniet Domini lux illa novissima, magnis  
Inclita miraclis, magno spectanda triumpho,  
Quà Christus judex hominum redditurus ab alto  
Cuilibet attribuet transactæ præmia vita.  
Gaudia tunc metæ finisq; ignara replebunt  
Os nostrum, & perpes nostram exultatio linguam:  
Læticiæq; comes tunc nobis obvius ibit  
Lucis inexhaustæ splendor fulgore corusco  
Certabunt nive i niveo cum sidere vultus.  
Tunc nostra à facie lacrymas absterget Jova:  
Tunc tristes curæ, gemitusq; , & luctus, & angor  
Æternò exiliò multatus abibit in Austros.  
Tunc quoq; flagrantis vchemens Hyperionis ardor,  
Nec non lethalis violenta Sirius astu,  
Linquet inaccessos, cœli quos contegit umbra.  
Tunc nullum premet ægra fames, vacui incola ventris:  
Nec cuiquamarentes uret siti arida fauces:  
Tunc vivò dulces undè de fonte bibentur:  
Vescemurq; alti rutilo super æthere cœli  
Ambrosiæ succos & odori Nectaris haustus.

Hunc igitur quotquot cœtum celebratis amœnum,  
Læticiæ persusi altâ, & spe pectora fulti,  
Exultate animis; latros diffundite vultus;  
Læticiæq; nouæ date signa, & tollite plausus:  
Verba sonate bona, & communia jubila vestris,  
Illustrate sonis; festæ celebrate diei  
Tempora: & æterna tribuentes munera laudis,  
Pectore inoblitò Christo persolvite grates.

Sic

Sic felix tellus, sic vobis rideat æther,  
Blandior, & dulcis pernicibus advolet alis  
Pax, Astræa, fides, donatrix gratia cœli.



Ad  
*Juvenem eleganter doctum,*

Dn. HENRICUM BEZAM,  
Wernigerodensem, Cheruscum, &c. Conci-  
būm suum suavissimum,

### Epigramma.

Quid dubitas teneros Musarum expromere fœtus,  
Tentare & famæ gaudia primata?  
Sinon Mantois resonant aquanda Camenis,  
Non indocta tamen, non triviale sonant.  
Hos Pietas versus, faciles comuntq; lepores:  
Quæ facere ad laudem plus, rogo BEZA, queant?

AUGUSTUS BUCHNER,  
Poët. Prof. publ.



**Q**uis novus ergo hodie conterruit ales Olympum?  
Fallor, an est vates fontis ab amne sacri?  
Doctisona cecinit surgentis voce triumphum,  
Christi, qui Satanam vicit & antra necis.  
Jamq; triumphanti gratatur blandula Christo  
Natura: & vates fas siluisse pios?  
Altera cura fuit vatum, præconia Regum;  
Sed Superum laudes dicere, prima fuit.  
Munera jam speras? Dare quæ consuevit Jova,  
Et sperare eadem munera BEZA potes.

Φιλίας καὶ σωσίας χάριν faciebat

M. DANIEL Raderecht / Dram-  
burgo Marchicus. P. L.

**I**ngenii laus est, tenuisse fideliter artes:  
Sed major, sacris mente vacasse simul.  
Ergo, HENRICE, canens Christitua Musa triumphum,  
Ingenii vires non sine laude colis.  
Pergas, sic pietas, artis cultura vigebit,  
Sic patriæ carus, gratus eris qd Deo.

Convictori & Amico suo fac.

M. URBANUS BOETZO, Dresdens.  
SS. Theolog. Studiosus,

Cuius

+ C

Quem

Quem bellum video viri docentem?  
Quem nunc percipio trophæa dantem?  
Victorem audio cœlicum canentem  
Tene, HENRICE meo benigne cordi?  
Rem pulcram facis atq; laude dignam,  
Rem claram, celebriq; laude dignam.  
Nam Christi meritas referre laudes  
Eho quis fugiat piorum? Homullos  
Purgavit roseo suo hic cruore:  
Insigni hic tumuli locum triumpho  
Reliquit, Satanam, malamq; Mortem,  
Et pestem à populo profundum ad Orcum.  
Trudit victor: hic in locis reponit  
Optatis animas ovatione.  
Hunc tecum celebrant homunciones:  
Huic tecum meritos ferunt honores  
Semper Christiadæ, dicantq; grates.  
Sed tu præ reliquis pio timore  
Candescens decus altius reportas:  
Victoris quia publicus resurgis  
Cantator, quia nunc referre palmam  
Ordirisq; Dei metro eleganti.  
Ergo quam referunt viri q; laudem  
Et docti juvenes, resume latus,  
Nec spernas, meritò tuus quod addit  
Hic Damon cupidoq; corde votum:  
Hem crescat, vigeat vigor benigni,  
HENRICE, ingenii tui, altiora  
Deinceps quæ reputas ut adsequaris.

Honoris & amoris ergo Contubernali & Com-  
mensali suavissimo faciebat

BALTHASAR MARSCHNER, Schluckenensis.

**Q**uis numerare potest humanæ criminæ gentis,  
Quæ Phlegethontæ flumine digna stygiæ?  
Quæ bona terrigenum genitor primævus habebat,  
Imperio flectens cuncta animata suo!  
Fœminæ at illecebris captus, suasq; colubri,  
Heu Deus esse cupit, qui fuit antè lutum!  
Totius incola erat terræ, & dominator Eoī  
Horti, quem liquidis unda rigabat aquis,  
Si qua fames aut orta sitis, præbebat amœnum  
Sylva cibum, dulce & nectar habebat aqua.  
Mox tamen, ut vetitâ decerpit ab arbore fructum,  
Exul, egenus, inops quærerit in orbe casam.  
Dumq; alimenta parat, largis sudoribus artûs  
Distillant, nec deest nocte dieq; labor.  
Hæc sunt in cunctos mala derivata, satorq;  
Primus causa necis suppliciiq; fuit.  
Sed pater æthereus sortem miseratus acerbam  
Terrigenum, gnatum mittit ab arce poli:  
Atq; illum dictis compellans talibus, inquit:  
Vade, reduc, verò tramite quicquid abit.  
Moriger ille patris summi mandata capessens,  
Corporis humani copulat ossa sibi:  
Oppedit infamem, suffixus ab arbore, mortem,  
Et commissa suo nostra cruore luit.  
Hostibus hinc domitis redivivus surgit in auras,  
Ad Ditis ponens clara tropheæ domum.  
Enjam eversa jacent squalentia regna Barathri,  
Atque patet cœli janua clausa priùs.  
Inde piè exclamans Ecclesia sancta triumphat,  
Ampla Redemptoris cùm benefacta canit:  
Dic, Mors Sæva, ubi nunc tua magna potentia? Averne,  
Pristinus aut cessit quò furor iste tuus?

Vis


Vis labat Inferni tristis: Mors dira perempta est:  
Victori cedunt cuncta subacta D E O.  
Hostu dum culto celebras, H E N R I C E, triumphos  
Carmine, te dignam rem facis, atq; D E O.  
Hoc etenim pietas & C H R I S T I jussa requirunt,  
Qui cœnam instituens hæc memorare jubet.  
Perge ita, &, Eusebie quæ ducit, dirige gressum,  
Sperans à summo præmia digna D E O.

*Amoris & honoris ergo συνοίκων μετα-  
τριώτη longe suavissimo f.*

J A C O B U S K L I N G S P O R Werni-  
gerodensis, Bructerano-Che-  
ruscus.

F I N I S.





169

VD17





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-640544-p0032-9

DFG

## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



MPHUS  
RISTI,  
Hoce est, <sup>Dnu. Cognitio p. 3</sup>  
salutifera & glo-  
ceptione Servatoris atque  
oris nostri J E S U <sup>Dnu. H. 3</sup>  
CHRISTI,  
iptum, & VVitebergæ fe-  
atos in auditorio Collegii  
ublicè recitatum.  
ab <sup>Dnu. Expositio p. 3</sup>  
BEZA, VVernige-  
, Philosophiæ & LL.  
studioso.  
i per Christum mundi  
CXXXIII.  
TEBERGÆ.  
NIS GORMANNI.